

Petrus de Vinea

Ep. I 17 (Ad uos est hoc uerbum...)

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

Ep. I 17 (Ad uos est hoc uerbum...)

novembre 1241-giugno 1243

Fridericus cardinalibus, inuestiua cum increpatione, quia non creant nouum papam

1. Ad uos est hoc uerbum, filii Effrem male tendentes arcum et peius emittentes sagittas, turpiter in die belli conuersi retrorsum. Ad uos est hoc uerbum, filii Belial, dispersionis oues. Ad uos est hoc uerbum, animalia capita non habentia, magni iudicis assessores. Ad uos est hoc uerbum, cardinales obliquati, quibus male uoluitur orbis. Ad uos est hoc uerbum, pro quibus totus mundus prorumpens in uerba obloquitur. 2. Nec ego possum loqui, quin obloquar, qui de mundo sum, licet immundus, propter quod oportet me sentire cum mundo, tamquam pars suo toti nec dissona, nec aduersa. 3. Scribentis itaque attendite de dura et inepta materia, rudem epistolam exordii dignitate priuatam. Lingua mea, uelocitate compulsa, prius prorupit in uerba quam concipiens ei spiritus delegasset, et sic superioris non expectato imperio minus plene concepta edere festinauit. Habet enim hoc animus conturbatus, quod plerumque sermonem incontinuum parit, aliquando et abortiuum. 4. Communis namque animorum existit conceptio et sermo uulgaris, quod non mediator Dei et hominum Iesus Christus, de summo celo qui uenit ponere pacem in finibus terrae, Apostolorum magister et dominus, sed diuisus in se Sathanas, princeps Aquilonarius, sit in medio uestrum, tamquam quibus ministrat, ille persuasor discordiae, spiritus tenebrosus, qui posuit linguas uestras in diuisiones et in pluralitatis articulos uestram disgregare compulit unitatem, dum nec uobis, nec mundo consulitis, qui tot periculis propulsatur, et Petri naucula, quae per maris altitudinem uentorum flatibus rapitur, remis et remige destituta, non est aliquatenus uobis

curae: quae quamuis in se submersionem non timeat, in suis tamen multa et uaria patitur naufragia tempestatum. 5. Sane si diligenter attenditis qualiter nationes et gentes, quas iudicare soletis, contra uos derisorie mouent capita sua, in se unusquisque palleret, et ad tam publicum et detestabile opprobrium propulsandum non inueniri posset necessarium argumentum: quia dum quilibet vestrum aspirat ad cathedram, unus non consentit in alium, et dum alter in alterum non consentit, nullus erigitur, et dum nullus erigitur, cathedralis dignitas euanesceat, et sic ex disconueniencia uestra conuenientis Ecclesiae status confunditur, et fidei qua uiuitis deperit rectitudo. 6. Per capitis quidem defectum immergit, ut, ubi natura sensus imposuit, monstra reputemini quaedam et membra truncata, in cunctis sensibus defectiua, quoniam uidetur obtenebratus uisus uester, diminutus auditus, et ille oris sonus in fines orbis terrae olim sonorus, penitus obmutescens, factus est derisorius echo. 7. Nam >Petri et Pauli hodie non audiuntur tonitrua, concionatores, sicut canes muti, ad silentium compelluntur; forte paratae sunt uobis manus ad recipiendum, sed desunt munera, quia, qui ueniebant de Saba, aurum deferentes, modo non ueniunt, cum non inueniant Dominum in presepe, ducatum eis celesti sidere denegante. 8. Pedes etiam non habetis ad ambulandum, et dummodo potentis uos manus coerctet, ultra quinque pedes uestra uestigia non mouentur. Proh pudor!, minima reptilium animalium in prudentia uos precedunt, nam aues sine ducrice non uolant, apes absque rege non uiuunt. Vos autem sine rectoris gubernaculo fluctuatis, matrem Ecclesiam fortuitis casibus relinquentes, non attenditis quod illi errantes Israelitici, quadraginta diebus absque duce

uagantes, ad summam demenciam deuenerunt, pro Deo sibi uitulum conflatilem statuentes. 9. Sic papalis cessauit unctio; ueniet ergo alius Sanctus sanctorum: et quis ille est? O inexcusabilis culpa! Rachel uirum non habet, cuius paruuli petunt panem, et non est qui porrigat eis ex omnibus caris suis; et Syon dudum pulchra facie iacet sicut mulier menstruata, cuius uiae lugent et non est qui ueniat ad sollempnitatem. 10. Concidit gloria uultus eius, oculi columbarum uisu deficiunt, quia non uidetis quantum proximi estis naufragio, dum sine remige nauigatis. O si possetis alternatim libros conscientiae legere, quot et quantas inueniretis in eis accusatorias lectiones, contrariis sentiis inuolutas. 11. Reuertatur ergo, reuertatur quilibet in seipsum, et ad resumendum caput, sensus et rationem induite, ut mater Ecclesia, tam diu suo priuata lumine, decorem suscipiat et ad statum pristinum reducatur.